

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Luxuria. Emblema LXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Luxuria.

EMBLEMA LXXII.



ERVCA capripes redimitus tempora Faunus,
 Immodica Veneris symbola certa refert.
 Est cruce falax, indexq; libidinis hircus:
 Et Satyri Nymphas semper amare solent.

COMMENTARI I.

I. **P**INGITVR Faunus sive Satyrus, monstrum cornutum, facie rubra, hispidum, caudatum, capriinis pedibus, mutone arrecto, cætera specie humana; cuius tempora cingat cruce; cuius latus stiper Nympha.

II. **P**AVSANIAS in Atticis narrat historiam de Satyris, eorumq; libidine valde prodigiosam, vnde hoc Emblemata defumptum videtur; eamq; se ait accepisse ab Euphemo Caræ, qui narrabat, se cum in Italiam navigaret, vi ventorum pulsus ad exitimum mate, quod navigari non solet;

perlatum esse. Insule ibi multe sunt ac fertæ, quarum incolæ sunt agricolæ homines. Eæ insule nominantur Satyrica, in quibus homines rubicundi, qui caudas in medio dorso habeant, equinis non multo minores. Qui statim ubi senserunt novos venisse hospites, ad navigium, quasi faclo impetu, accurrerunt, nullamq; vocem ediderunt, sed mulieribus vnâ aduectis manus iniecerunt. Nauta metu perterritus, barbaram mulierem in insulam proiecerunt, eam Satyri non solum qua parte nature consuetudo permittit, sed & toto corpore

Insula Satyrica.

X libi.

Plinius
cuid de
Satyris
sentiat.

De Saty-
ro à D.
Antonio
viso.

Satyri
Baccho
sacri.

III.
Erucæ.

Faunus.

libidinẽ violarunt. Minimẽ verò fabu-
losum esse de Satyris commentum. ostendit
Plinius, qui illos in subfoliis Indorũ
montibus inueniri tradit, humana effigie
animal perniciosissimum, vt propter veloci-
tatem nisi senes aut ægri capi nequeant.
Idem Satyros, quales poetas & pictores fin-
gunt, ex capra videlicet & homine permix-
tos fuisse arbitrat. Vide eundem lib. 6. c.
30. lib. 7. c. 2. & lib. 8. cap. 54. Hoc idem vi-
detur sentire Plutarchus in Sylla. Diuus
item Hieronymus refert, eiusmodi animal
à S. Antonio Eremita visum inter saxosam
vallem, homunculum scilicet haud gran-
dem, ad uncis uaribus, fronte cornibus as-
perata cuius extrema pars corporis in ca-
prarum pedes desinebat. Qui de conditio-
ne sua interrogatus respondit: Mortalis ego
sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario
delusa errore gentilita, Faunos Saty-
ros, & Incubos vocans colit. &c. Et paulò
infra subdit Hieronymus: Hoc ne cui piã
ob incredulitatem serupulum moueat,
sub rege Constantino, in uerso mundo re-
ferte, defcenditur: nam Alexãdriam istiusmo-
di homo uiuus perductus, magnum popu-
lo spectaculum præbuit: & postea cadauer
exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale
infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore vide-
retur, allatum est Plura de Satyris vide apud
Ælianum lib. 3. De var. hist. & Leonice.
Thomazum lib. 2. c. 24. Apud Plutar-
ch. in Galba, homines in diem uiuentes, &
Satyrici, ἡμέροι καὶ σατυρικοί τῆς βίως
ἀνθρώπων, pro libidinosis & luxu diffusi-
tibus accipiuntur. Idem in Pericles: οἱ Σα-
τυροὶ τοῦ Διονύσου ἱεροὶ ὄρθητὰ ἐχρουν ἡδὲ
αἰδοῦν. ἔξυμ βολοὶ τοῦ θεῖου ἀρχυμάτος:
Satyri Baccho sacri erebros habes mutones,
diuina sym'olum potestatis.

ERUCA] Eruca vermis est, & herba ca-
lidæ virtutis, de qua Plinius lib. 19. cap. 8.
Alij sic dictam volunt ab vrendo; alij ab
erodendo, quod bestiolas omnes corpori
innascentes erodat: huius in condiendis
obsonijs târa est suauitas, vt Græci eam ob
bonitatem iuris ἐν ζωμῳ appellatint. Ven-
erem mirificè stimulat, vt dicemus. Itali
vocant Ruchetta vel etiam Risola.

Capripes Faunus] Quos Græci Satyros
vocabant, Latini Faunos appellant, qui
Dij nemorum habiti sunt, & agrorum.
Seruius 7. Aeneidos; Faunus, inquit, &
Fauna dicti sunt à variando, id est, à san-

do: vnde & fatuos dicimus inconsideratè
loquentes. Sed de alio Fauno ibi videretur
fieri mentio, qui & Fatuelus, Pici filius, &
pater Latini, qui in Latio regnauit. De Fau-
nis sic Plinius lib. 12. cap. 1. Quin & Silua-
nos, Faunosq; & deorum genera filius, &
sua numina tâquam è coelo attributa cre-
dimus. Faunorum quoq; mentionem facit
Cicero 3. de Nat. Deor. & nos infra plu-
ra dicemus, cum de Pane acturi sumus; si-
quidem, vt doctis placet, Pan Inuus, &
Faunus pro eodem sumuntur. Dicitur ca-
pripes à pedum forma. Horatius Carm. 2.
Ode 19.

--- & aureis
Capripedum Satyrorum acutas.
Redimitus tempora.] Caput habens cin-
ctum & coronatum. Virgil. in Copa:
--- Græca redimita mitella.
Quid. 3. Amorum, eleg. 9.
Flaua Ceres tenues spicis redimita capillos.
In 10. Aeneid. vbi de Æmonide Phœbi sa-
cerdote:
Insula cui sacra redimibat tempora vitta.
Idem 3. Aeneid.
Vitis, & sacra redimitus tempora lauro.
Immodica Veneris] Nam Venus mode-
rata, vt naturalis, non vertitur vitio, modò
sit licita. De commodis autem & incom-
modis à Venere ortis legat curiosus Actiũ
lib. 3. cap. 8. Paulum lib. 1. cap. 35. Celsum
lib. 1. & Medicos passim, mihi hæc docere
iam non vacat.

Est eruca salax.] Frequens enim eius Eruca sa-
elus Venerem stimulat. Ideò antidotum lax.
contra amorem præscripturus Ouid. ab
eruca vsu cauendum suadet 2. De re-
medio:
Nec minus erucas iubeo vitare salaces.
Virgilius etiam in Moreto:
--- Venerem venocans eruca morantem,
Et appendicibus Virgilianis:
--- Libidinosis incitatus erucæ.
Ibidemq;:
--- Salaces nocte tollat erucas:
Eodem quoq; poemate:
Nam quamuis videt ar satis paratus,
Erucarũ opus est decem manipulis &c.
Vt & Æmilius Macer in eleganti opu-
sculo De viribus herbarum:
Non medicè mansam, Venerem stimulare,
vel haustam,
Confirmant medicis, pariter pluresq; poeta.
Loquitur de eruca. Illud titulum virgo:
Exitus

Excitat in Venerem i avdos eruen marito.
Et ex Ouidio etiam illud:

--- Ex horto qua venit herba salax;

Salax] ad libidinem prouocans; petulantiæ nomen, dictum à sale, qui propter calorem libidinem excitare, feminalemque vim expergefaceret & acuire potest. Inde Venus mari vel salo nata fingitur, illiq; salacitatis ergo fanum ad portum maris aru spices poni iusserunt. Inde marini Dij omnes lasciuiores fœcundioresq; habiti sunt à Poetis. Hac eadem de causa Ægyptij olim omnem saltem ita auersabantur, vt ne pane quidem salito vescerentur: quippe cū viuendi puritatem in primis adamarent, omnia nequitæ irritamenta submouenda censebant. Vide Aristot. in probl. Langium lib. 2. Epist. 32.

Hircus li
bidinis
hierogly-
phicum.

Indexq; libidinis hircus] Viri libidinosi probra & impudica facinora notare si velent Ægyptij sacerdotes, hircum fixe- runt; hircus enim celerius quàm quoduis animal rem Venerem aggreditur, quippe septima postquã natus est die, vt est apud Ælianum, alij septima dixerunt hebdomade, fœminas infecit. Quare non immerito ab Horatio libidinosus appellatur: cuius fœcunditatis gratia inter Deos inspi- cti sæculo annumeratus aliquando est, perinde ac Panes & Satyri. Huc puto torquẽdum Aristotelis verbum *ἡραγιστὸν*, quod nonnulli vertunt, *hircuitallire*, id est, in morem hircorum salacium clunes mouere & lasciuire; quamquam ab hircino odore fœculento alij trahant. Non possum transilire quod retulit Pausanias de simulachro Veneris hirci infidentis, ad significandam nimirum coitus insanam petulantiã. Plautus Mostel. de immundo & libidinoso:

--- At te Iupiter

Dijq; omnes perdant, obliuisti allium.

Germani illuuias, rufficus, hircus, hircus suis,

Canem capra commissa.

Eundem Apuleius vocat, hominem fordidum, & hircina libidine fœtentem.

Et Satyri] De Satyris præter supra citatas auctoritates vide Pomp. Melam. Ælianum de animal. Orphei hymnũ in Satyrum, Natalem Comit. Mytholog. lib. 5. c. 7. 9. & 10.

Nympha.

Nymphas] Nymphæ Oceani & Tethyos filię creduntur, quarum quedam cœlestes, quedam terrestris, quedam fluuiales, alię

marinæ, alię stagnorum præfides. Quæ cœlestes putabantur, credebantur esse animæ spherarum, quas etiam Musas vocarunt, ac vires, quæ inde ad nos manarent. Terrestrum alię filius præcrant, vt Dryades; alię montibus, vt Oreades; alię singulis arboribus, vt Hamadryades; alię piscibus & floribus, vt Napeæ. Fluitantium præfides Naiades dicebantur; stagnorum Limniades. Quæ fontibus præfide putarunt, Ephydriades vocarunt. Vide Mytholog. Comit. lib. 5. cap. 11. & 12.

Semper amare solet] Amare hic mihi videtur esse verbum petulantię, & pro ipso amore frui, poni. Sicut posuit Terentius Eunucho, interprete Donato:

--- Certè extrema linea

Amare, haud nihil est.

Plautus Bacchid. Sine te amem.

LIBIDINIS fœdæ expressissima symbola ponit ob oculos, nempe Satyrũ, qui erucam capite gesser. Eruca quidem (ab vrendo dicta) prouocat ad Venerem, vt potè quæ virtutis sit calidissima. Plin. lib. 19. cap. 8. Satyrus autem, siue hircus (animal salacissimum) luxuriam putidam & olentem designat. Sunt enim Satyri ad Venerem propensissimi: vnde id nominis dictum putant à *σαβν*, quod virile membrum est. Hoc itaq; innuit libidinem in affectu ardere maxime, in actu ipso fœcere, & olentem esse, vt quemque ab illicitæ Veneris titillationibus subducat. Depinximus in superioribus Superbiam & Inuidiam, age experiatur etiam penicillum nostrum Luxuria, illa scilicet quæ ad Priapum, impudicum hortorum custodem, stirpis suę refert primordia, salacissima mulier, cloaca libidinis, quæ sicut Æthna furtiuu amoris perpetuo æstuat incendio: patienti coma, laxa ac pendula, in qua fucus coloris & tinctura, delibuta vnguentis & sinigmate aromatico, lasciuis & emissitijs oculis, procaci vultu, inflata facie ac subruffa, carbunculis suis condecorata scilicet & smaragdus. quales lepræ flos protrudit, aut lucis Gallica. Insignes gemmule? Nardo redolent manus, pectus nudum, turgida mammilla, composita ad lascitiã omnia meretricio cultu. Nunquam hæc sola graditur, satellitio cincta est, psalteriæ comitantur & chorus musicus, Veneris præfertur imago in vexillis, thedæ infidens. quam trahunt ad libidinem proiectæ volu

Amare.

IV.
Symbola
libidinis.

Satyri li-
bidinosi.

Luxuria
Ideæ.

ores. Arma non habet, quibus pugnet, aspectu vincit & verbis, quæ sicut tela penetrant & occidunt. Væ qui tangitur; sine sensu vulnus, incurabile tamē, fibras enim cordis depascit, & serpit ad centrum vitæ. Gradatim & diserte hoc docet Gregorius in Moral. cum ita scribit: Ex quo luxuria semel mentem alicuius occupavit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestionem oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectatione delectatio, ex delectatione consensio, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatio damnatio. Quocirca Seneca 28. Epist. monet, indurandum esse animum, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendum. Et quidem libidinis initium continebis, si exitum cogitaueris; quanquam adeo blandum malum luxuriam dixit Val. Maximus lib. 9. vt accusare id aliquanto sit facilius, quam vitare. D. quosq; Bernardus luxuriam triumphan-tem graphicè depingit: Luxuriæ currus, inquit, quadrigis voluitur vitiorum, in glauie ventris, libidine coitus, mollicie vestitū, ocij soporisque resolutione: trahitur equis æquè duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præsumt duo, ignauie torpor, & inuidia securitas. Sed quosnā captiuos in triumphum ducat nonnihil dispiciamus. Atq; vt de Hercule taceam, quem Iupiter per adulterium ex Aleme-na sustulit, & qui, ne non patris sui similis esset, nihil antiquius habuit voluptate, & quidem impura, & quouis iure vetita; exindeq; triginta vna nocte mulieres aliquādo fertur iniisse; atq; vt apud Athenas est, idem septem diebus quinquaginta filias Thestij virginitatem imminuit: Traditum utiq; meminimus, Proculum, qui Probi tempore tyrannidem iuauit, nocte vna decem captiuas ex Sarmatia constuprasse: atq; ea de re peculiari eum epistola gloriatum fuisse, seq; inter fortes numerari affectasse, dum molliciem suam maxime commemorando manifestauit, vt grauius censuit Pierius lib. 10. Hieroglyph. Hoc amplius Anton. Mizaldus prodidit, ex eodem Proculo centum virgines intra quindecim dies factum concepisse. Ceter. 1. Memorab. aphor. 88. Et qua continentia

fuisse dicas eum, qui cum viginti iam sepe-
lisset vxores, eam sibi matrimonio copula-
uit, quæ vigesimum secundum maritum
habuerat? De his D. Hieron. lib. 3. Epist.
Ex hoc hircorum genere fuit quoque He-
liogabalus, ille, vt Alexander Seuerus ait,
non solum bipedum, sed etiam quadrupe-
dum spurcissimus: is enim mulieres nun-
quam iteravit præter vxorem. Nec tamē
video, quid moribus in hoc velit mulie-
res cedere. Singulare muliebris lasciuie e-
xemplum retulit Gaudentius Merula,
qui Augustæ Taurinorum vidisse se testa-
tur adolescentulam sacris elegantem, & ad-
deo libidinis avidam, vt quinq; & triginta
viros ordinis militaris ad coitum seriatim
admiserit. Anton. Mizaldus Cent. 8. Memo-
rab. aphor. 10. Messalinam scilicet Claudij
Cæsaris vxorem victuram, quam Plinius lib.
10. cap. 36. scribit, ancillam in Veneream
id certamen è prostitutis electam, die ac
nocte superasse quinto & vicesimo concu-
bitu; Et lassata a viris, nondum satiata recessit.
vt ait ille. De huius portentosa libidine
extat apud Dionem Cassium Nicæum lib.
60. & eius Epitomarium Xyphilinum in
Claudio. Nihil dicam de salacitate Semi-
samidis, Myoniae, Cyrenæ, & aliarum pru-
rientium sceminarum, sola mihi agmè du-
cat Quartilla Petronij, cuius dictum ille,
effertam mulieris libidinem, & passiuam
prostituti pudoris nundinationem ex-
quens, ita concinnauit: Iunonem meam
(inquit Quartilla) iratam habeam, si me
vnuquam memini virginem fuisse. Nam in-
fans cum patibus inquinata sum, & subin-
de prodeuntibus annis maioribus me pue-
ris applicui, donec ad hanc ætatem perue-
ni, qua scilicet (vt est in proverbio) tauu
fere potest, quæ vitulum tulerat. Sed por-
tentosa hæc libido me quoq; in verborum
luxuriam traxit. Desino, vbi cum Venera-
bili Beda exclamaui: O extrema libidi-
nis turpitudine, quæ non solum mentem ef-
feminat, sed corpus eneruat: non solum
macular animam, sed sedat personam. Om-
ne namq; peccatum, quodcunq; fecerit ho-
mo, extra suum corpus est; qui autem for-
nicatur, in corpus suum peccat. Semper
illam præcedunt ardor & petulantia, sem-
per sequitur dolor & penitentia.

Polyga-
mi.Helioga-
balus.Lascinia
puella cir-
iusdam.Mesiadi-
na.Quartil-
la Petro-
nij.Exclama-
tio.